

Th. A-  
vensbury.

tam luit perfidiam degradatus amputatis securi calcari-  
bus, post discinctus baltbo militari, inde calceis & chiro-  
thecis exutus, demum tractus, suspensus, decapitatus, &  
membrarim diripitus.

Ego Luguballiae quæ Meridianum grad. **xxi**,  
scrup. **xxxii**, ab ultimo Occidente distantem, &  
Polum Borealem grad. **lxxxxi**, scrup. **lv**, sublimem  
habet, cum I. Ionsoni versu Encomiastico  
nunc valedicam.

## C A R L E O L V M.

Romanis quondam statio tutissima signis,  
Ultimaque Ausonidum meta, laboque Ducum  
E specula late vicinos proficit agros,  
Hinc ciet & pugnas, arcet & inde metus.  
Gens acri ingenio, studiis asperrima belli,  
Doctaque bellaci figere tela manu.  
Scotorum Reges quondam tenuere beati;  
Nunc iterum priscis additur imperius.  
Quid? Romane putas extrema hic limina mundi?  
Mundum retro aliud surgere nonne vides?  
Sit vidisse satis, docuit nam Scotica virtus  
Immenis animis hic posuisse modum.

Iam Itunam si transmittas, Rowcliffe cernas pro-  
xime ripam Castellulum à Dominis Dacre non ita  
pridem ad tutelam suorum erectum. Super hoc  
consociatis undis uno quasi ostio Ituna æstuarium  
sive sunt duo flumina Eſca & Leven, Eſca è Scotia  
descendit, qui per aliquot millaria Angli se  
juris fatetur & Kirſop fluvium in se recipit, ubi non  
aquis sed mutuo metu Angli & Scotti nuper se-  
parati, uterque magnarum virtutum utriusque  
genti testis locupletissimus. Ad hunc ubi Ne-  
therby viculus ex una & altera casula jam cernitur,  
adeo mira & magna sunt priscæ urbis rude-  
ra & perfluentis Eſca nomen ita consonat, ut  
ÆSICAM ibi fuisse suspicemur, in qua Tribunus  
Primæ Cohortis Asturum excubias olim contra  
Barbaros egit. Hic vero nunc princeps familiæ  
Grayhamorum, quæ militari virtute inter limi-  
taneos admodum celebris, habitat, atque in  
ædium pariete hæc Romana legitur inscriptio in  
memoriam Hadriani Augusti à Legione Secun-  
da Augusta posita:

IMP. CÆS. TRA.  
HADRIANO  
AVG.  
LEG. II. AVG. F.

Baronia  
de Lidell.  
Lides dall.Anno 1.  
Ri. 2. Prä-  
lium ad  
Sollom-  
moffe.  
1542

Vbi vero Liddus flumen Eſca confluit, Liddel  
olim erat castrum, ut accepi, & Baronia Estote-  
villorum qui terras tenuerunt in Cornagio, quas Ranul-  
phus Comes Turgisso Brundas, ut legitur in veteri In-  
quisitione, donavit, ab Estotevillo vero ad Wakos  
hæreditario, & per eos ad Cantii Comites, Ioannes  
autem Comes Cantii Regi Edwardo III, &  
Rex Richardus Secundus Ioanni Gandavensi  
Lancastriae Duci concessit. Ulta hunc Eſcam  
etiam ager per aliquot millaria Angli censemur  
imperii, in quo Sollom-moffe captivitate quam-  
plurimum è Scotia nobilitate innotuit anno  
c. 10 XLIII, cum Scotti Th. VVhartonum hu-  
jus Angli limitis Præfectum adorturi, ubi pri-  
mum senserint Olivero Sincler, quem nihil asti-

marunt, Regis vices, ipsis posthabitis, commis-  
fas; adeo illis stomachus erupit ut acceptam  
quam interpretabantur injuriam suo dedecore  
& damno persequerentur, ordinibus confusis tu-  
multando omnia miscuerunt. Quod Angli è  
superiori loco prospicientes illico irruunt, in fu-  
gam conjiciunt; plures capiunt qui armis abje-  
ctis in Anglorum, & limitaneorum prædonum  
manus se pauculis militibus hinc illinc desidera-  
tis dediderunt: unde statim animum despondit  
Iacobus V, Rex Scotorum, & vi mceroris ani-  
mam exhalavit. Agri circumvicini Bataable ground,  
id est, Terra litigiosa dicitur, quia de ea inter An-  
glos & Scotos contendit. Accolæ enim utrin-  
que ut limitanei, velox, infidiosum, & expeditis-  
simum militum genus, & velitationibus exerci-  
tatißimum. Leven alterum de quo dixi flumen Leven.  
in ipso regnorum limite scatens nihil memoran-  
dum præterfluit præter Beucaſſle (ut vulgo vo-  
cant.) Regis castrum, quod in solitaria regione Beucaſſle.  
militum manus tuetur. Bueth-castle autem in pu-  
blicis Actis scribitur, ut nomen factum videatur  
à Bueth illo qui hoc trætu circa Henrici Primi  
tempora rerum quodammodo potitus erat. Cer-  
to constat quod Edwardo Tertio regnante Ioan-  
nis de Strivelin Baronis qui filiam & alteram hæ-  
redum Adami de Swinborn duxit, fuerit patrimo-  
nium. In Ecclesia quæ quodammodo collapsa  
vice faxi sepulchralis jacet hæc vetusta inscriptio  
aliunde translata,

LEG. II. AVG  
FECIT

In cœmterio Crux in viginti plus minus pe-  
des ex uno quadrato falso graphicè excisa surgit,  
& inscripta, sed literis ita fugientibus ut legi ne-  
quaquam possint. Quod autem ipsa Crux ita in-  
terstincta sit, ut clypeus gentiliter familie de  
Vaulx, eorum opus fuisse existimare licet.

Magis ad Austrum & Occasum, interius jacet  
Gilleslandia Baronia, regiuncta ita impedita tor-  
rentibus, quas Gilles vocant, ut inde nomen fa-  
ctum judicarim, si non legifsem in libro Ecclesiæ  
de Lanercost Gillum quendam filium Bueth, qui etiam Gilbertus in Charta Henrici Secundi dictus  
fuit, hanc olim tenuisse, à quo probabile est no-  
men hoc inditum fuisse. Per hanc à Carleolo Val-  
lum Severi sive Murus quod celeberrimum Bri-  
tanniaæ monumentum recta fere linea in Ortum  
procurrit per Stanwicks viculum, Scalby castrum  
olim Tilliolorum, qui olim clari hoc trætu fuerunt  
cognominis, à quibus ad Pickeringos devenit, &  
inde Cambec rivulus Murum subit ad quem Askerton  
castellum Barones Dacre construxerunt, ubi Askerton.  
Præfectus Gilleslandia, Land-Sergeant vocant,  
præsidium habuit. Infra Murum Irthingo flumini  
confluit, ubi Irthington Capitale, ut vocant, Mane-  
rium hujus Baroniaæ de Gillesland, magnæque hic  
ruinæ ad Castle-steed visuntur. Iuxta Brampton te-  
nuis est mercatus quem BREMETVRACVM fu-  
spicamus ad lineam valli, vix enim mille passus à  
vallo abest ubi olim egit Cohors prima Tungrorum  
è Germania & divergente Romano imperio  
sub Duce Britanniarum Cuneus Armaturarum.  
Hi equites erant toti armis tecti, Duplares vero  
vel similes hæc Armaturæ fuerint in dubio reli-  
quit.

Bataable  
ground.  
Limita-  
nei.Strivelin  
Baro.Scalby  
castle.Bram-  
pton.Bremetu-  
racum.

Cohors 1.

Tungr-  
rum.Armatu-  
ræ.

Veget.

Lib. 2.  
cap. 7.